

carnem humanam gustaverint mox cessant propter insuetum nutrimentum erubescens. Impii autem et invidi fidelem perpetuo maledictis exedentes non saturantur. »

IV Quia narravit fratribus suis omnia sua, quibus indicabatur fore eum aliquando principem, fratres vero ei subiciendos. Præbuit hæc narratio maximum seminarium odio fraterno et persecutioni, ut testatur sacer textus his verbis: *Hæc ergo causa somniorum atque sermonum invidiæ, et odii fomitem ministravit*, Gen. XXXVII. Pari modo reprobi persequuntur et oderunt probos, quia partim audiunt eos in solo Deo gloriari, et promittere sibi bona æterna in cælo, impiis vero prædicere et minari pœnas æternas (uti faciebant septem Macchabæi Antiocho, II. Macch. VII.) spernere vero et exsibilare hæc infima, eorumque sectatores velut stultos et infantes vanitatem et mendacia quærentes: partim etiam vident eos mundi contemptores ac derisores, adeoque a mundanis se separare, etc. Hanc causam etiam tangunt impii, citato cap. II. Sap. cum aiunt: *Tamquam nugaces æstimati sumus ab illo*, (justo) et *abstinet se a viis nostris tamquam ab immunditiis*. Eandem assignat Christus, Matth. XV. *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*. Sensus est, inquit Cornelius ibi: Si vos diligeritis opes, honores, delicias, libidines, etc. uti mundus diligit, ipse vos ut sui similes diligeret. At cum videt vos hisce suis cupidis contraria diligere, et diligenda docere, scilicet contemptum terrenarum opum, honorum, deliciarum, libidinum, idcirco odit vos mundus. Ad hæc ea quæ sperant et magnificant pii bona cœlestia, impii pro inanibus somniis et vanis illusionibus habent: pii autem verissima esse asserunt, sicut et Josephi somnia verissima erant, a Deo ipsi immissa. Certe apostolus mundana omnia, quibus mundus obtinetur, reputat *velut stercora*, ad Philip. III. S. Augustinus vero nugæ, I. VIII. confess. c. XI. ubi ait: *Retinebant me nugæ nugarum et vanitates vanitatum, antiquæ amicæ meæ*. E contra crucem, paupertatem, humilitatem maximo loco habent. Quemadmodum enim Hebræi exosi erant Ægyptiis, quia mactabant et comedebant oves et similes pecudes, quas Ægyptii venerabantur velut numina; unde Moyses Pharaoni dixit: *Non possumus immolare in terra hac; abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro*, Exod. VIII. Ita etiam servi Dei odio sunt mundi asseclis quia quod isti vivere volunt, illi mortificant: quæ isti adorant, illi mactant: quæ illi magni faciunt, isti contemnunt: vitulos scilicet aureos divitiarum, etc. Unde S. Gregorius, lib. XX. moral. cap. XVI. ait: « Oves Ægyptii

edere dedignantur: sed quod abominantur Ægyptii, hoc Israelitæ Deo offerunt, quia simplicitatem conscientiæ, quam iniusti velut infimam abjectamque despiciunt, hanc iusti in virtutis sacrificium vertunt, et excolentes recte puritatem ac mansuetudinem Deo offerunt, quam abominantes reprobi sanctitatem putabant. » Neque vero solum hæc terrena spernunt iusti, sed præterea etiam ipsos mundi amatores et peccatores contemnunt, eorumque potentiam, et fastum, et minas pro nihilo habent, uti Samuel Saulem, quem Deo rebellem dignari amplius aspectu noluit, Elias Achabum, Elisæus regem Israel, cui dixit: *Si non vultum Josaphat, regis Juda, erubescerem, non attendissem quidem te, neque respexissem*, IV. Reg. III. Mardocheus quoque impium et superbum sprevit Amanem, velut Deo mortuum neque ipsi assurrexit prætereunti, Esth. III. In solo enim Deo omnia se habere sciunt. Hinc exurgit odium impiorum erga pios, uti observat etiam glossa in Sapient. II. *Potentis sæculi*, inquit, *qui beneficiis divina potestate collatis abutentes, quos consortes habent naturæ, dedignantur habere consortes gratiæ; et honorem et reverentiam, quam soli Deo debuerunt, in sese transferre contendunt; eas autem, qui consentire nolunt, odiis et cruciatibus prosequuntur; sed iusto Dei iudicio in insidiis suis capiuntur iniqui*, unde Proverb. XI. dicitur: *Iustus de angustia liberatur, et traditur impius pro eo*.

Quando igitur vidimus quæ causæ stimulent malos ad persequendum bonos: *Nolite mirari fratres, si odit vos mundus*, ait S. Joannes, epist. 1. cap. III. Quid enim mirum si filii diaboli oderint filios Dei? Si filii serpentum oderint filios hominum? Gaudete igitur, quia (ut subdit Joannes:) *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*.

CONCIO IV.

RATIO ACCENDENDI IN NOBIS IGNUM SPIRITUS SANCTI.

I. Oratione assidua et fervente. — II. Meditatione vitæ et beneficiorum Christi. — III. Pœnitentia. — IV. Precibus sanctorum. — V. Consideratione gehennæ.

THEMA.

Cum venerit Paraclitus. Joan. XV.

Mirum quid, auditores, legimus in Levitico, cap. X. filios scilicet Aaronis, Nadab et Abiu devoratos esse ab igne sacro, qui ad sacrificium usi fuerant igne non sacro, sed alieno. Ignis ille typus Spiritus sancti fuit, quia et igne Spiritus sanctus super apostolos venit. Verum hic alienus est, quando nulla nostra opera excitatus est. Non vult Deus talem ignem alienum, non vult dare

Spiritum sanctum, quem nulla nostra accendimus industria. Hinc est, auditores, quod ait Dominus, Luc. XII. *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendantur?* Deigne Spiritus sancti loqui Dominum docent plerique omnes, Origenes, Athanasius, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Gregorius. Sed si ita desiderat ignem illum accendi, cur ipse eum non accendit? Nimirum quia a nobis vult eum accendi; ut sic ignis ille noster fiat. Sed qua ratione, dicit aliquis, accendemus ignem illum? Audiamus.

I. Ignis excitatur flatu. Flatus noster oratio est, dum enim oramus, halitum ad Deum efflamus, et crebro quidem. Ergo frequens et perseverans oratio excitabit in nobis ignem Spiritus sancti. Ita fatetur Salomon se per istud medium impetrasse Spiritum sapientiæ: *Optavi et datus est mihi sensus, et invocavi, et venit in me Spiritus sapientiæ*, Sap. VII. Imo Christus ipse Luc. XI. cum jussisset instanter orare, subdit: *Si ergo vos eum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in cælis est, dabit Spiritum bonum petentibus se?* Scimus Eliam orationi instantem ac dicentem: *Exaudi me Domine, exaudi me etc.* ter aquis perfuso altari, curvando se in modum arcus, ignem de cælo holocausto suo absumendo impetrasse, III. Reg. XVIII. Poterit ergo et oratio talis impetrare Spiritum s. ignem, maxime si accesserint crebræ lacrymæ et ardentia suspiria. Denique, hoc medio usi sunt apostoli et primi Christiani ad impetrandum Spiritum sanctum: *Erant enim perseverantes unanimiter in oratione*, ait S. Lucas, Act. 1. per decem videlicet dies. Græce habetur *perdurantes*, et difficultatem operis assiduitate superantes. Orare enim non est minima difficultas, qua mens velut arcus tenditur, et ad cœlestia attollitur: phantasia interim constringitur et vinculatur, ne in distractione evagetur: quod multo tempore continuare est difficile. Multum ergo hic labor impetrat. In vita S. Lutgardis virgin. Tungrens. scribit Thomas Cantiprat. apud Sur. 16. junii, quemdam ejus specialem amicum, virum sæcularem, qui gravi se scelere obstrinxerat, confessum quidem esse et egisse pœnitentiam, in precibus tamen suis nullam indulgentiæ sentire potuisse consolationem, adeo ut parum abesset, quin in desperationem incidere. Venit ergo ad Lutgardem, et ei tum peccatum, tum miseriam suam explicuit. Illa bis terque pro eo Dominum orans. nullum responsum accepit, nec miser homo melius habuit. Tum illa cum Domino precibus luctans: *Aut dele me*, inquit, *de libro vitæ, aut dimitte illi novam hanc*. Mox misericordia flexus Dominus: *Ecce*, inquit, *remisi illi*. Quibus verbis ille confestim perfectam veniæ spem concipiens, ad tranquilliores animi statum,

quam fuerat (ante lapsum, Domino miserante, pervenit.

II. Excitatur speculo soli obverso. Eo artificio Archimedes classem hostium incendit. Speculum hoc meditatio est et consideratio vitæ et beneficiorum Christi, nostræque difformitatis ab exemplari et ingrati tudinis; de quo apostolus, ad Hebræos XII. ait: *Aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta*. Ipse nimirum cum dives esset propter nos egenus factus est: nihil in mundo possedit, cujus erat totus mundus; ex humili Virgine in stabulo natus, noluit rex ab hominibus fieri, esurivit, sitiit, fatigatus est; insuper propter nos victus, falsis criminationibus accusatus non respondit, flagellatus, et crucifixus est. Nos vero quam ei dissimiles sumus! Hac meditatione excitavit in se ignem Spiritus sancti Elisabetha tenella, cum imaginem Crucifixi suo ornatui tam dissimilem contemplata est, ut corona capiti detracta vehementer erubesceret. Ad hæc quam ei ingrati sumus pro tantis beneficiis! Quoties ejus vulnera denuo peccando renovamus! Quoties ejus sanguinem pedibus calcamus, ipsumque rursus crucifigimus! Ex hac consideratione, beneficiorum scilicet Dei et suorum peccatorum, quibus æternam mortem commeruisset; Dei vero benignitate redemptus, et gratiæ restitutus esset, Petrus Raymundus, S. Catharinæ Sennensis confessarius, tantam concepit contritionem, ut rugitus ederet, et tantum non cor ei rumperetur, id quod precibus B. Catharinæ impetravit, in vita Catharinæ, 29. april. c. XIX. Et hoc est, quod in Psal. XXXVIII. ait David: *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis*. Non dubium quinetiam discipuli Christi et primi illi Christiani eo tempore, quo Jerosolymis inclusi Spiritum s. expectarunt, identidem acta, dicta et beneficia a Christo accepta recolentes inter se contulerint, et doluerint quod tantis beneficiis non pro merito responderint, quemadmodum illi duo euntes in Emmaus dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum loqueretur nobis in via?*

III. Excitatur percussione, uti patet in silice. Percussio hæc quid aliud est, nisi peccatorum nostrorum accusatio, deploratio et punitio? Hac usus Publicanus, cum percussus pectus suam, dixit: *Deus propitius esto mihi peccatori*. Accendit vero hac percussione in se ignem Sp. s. quia: *Descendit justificatus in domum suam*. Eodem medio usus est S. Hier. plangens in eremo, ac puniens peccata fame, frigore, nuda humo vix ossa hærentia affigens, uti describit in epist. XXII. ad Eustoch. *Ubi*, inter alia ait, *memini me*

clamantem diem crebro junxisse cum nocte, nec prius a pectoris cessasse verberibus, quam rediret, Domino increpante, tranquillitas. Hoc eodem medio accenderunt in se ignem Sp. s. quam plurimi Judæi, qui in monte Calvariae visis prodigiis percutiebant pectora sua et revertebantur, utique compuncti cum centurione. Deinde, qui in die pentecostes audientes concionantem Petrum, seque redarguentem quod sprevisset et crucifixissent Christum, qui jam in cœlis regnans ipsorum Dominus et Messias esset: *His enim auditis compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum et reliquos apostolos: Quid faciemus viri fratres*, Act. II. q. d. quid remedii nobis erit, quæ spes, quod refugium qui tam grande scelus commisimus? In fratres nos accipite, et baptismo abluite a peccato nostro. Quo facto et ipsi Deo reconciliati sunt, et Sp. s. igne perfusi. Bene ergo S. Bern. trac. de modo bene vivendi ser. X. ait: *Compunctio Sp. s. reducit ad se, quia cum Sp. s. mens visitatur, statim homo peccata sua plorat*. Quod hi fecerunt et dixerunt Petro aliisque apostolis, facite et vos ac dicite confessariis: *Quid faciemus viri fratres? Quomodo expiabimus peccata nostra? Confitemini illa et plorate*. Habuerunt sane Judæi illi plusquam saxea corda, siquidem in passione Christi saxa scissa sunt, ipsorum corda scissa non sunt. Nunc tamen ad vocem Sp. s. de cœlo lapsam et objurgationem Petri scinduntur, et ignem Sp. s. concipiunt. Numquid aliquis magis saxeus esse vult, quam illi fuerunt?

IV. Excitatur affricatione corporum solidorum, v. g. duorum lapidum molarium, vel rotæ et silicis. Similiter et ignis Sp. s. excitari in nobis potest, si jungamus nos viris piis et spiritualibus vel imploremus opem sanctorum. Ita primi illi Christiani manebant cum Maria Matre Jesu, seque ad illam quasi affricabant, ut Filium suum ipsis benevolum redderet. Ita nobilis quidam et mundo deditus ephebus cum S. Elisabethæ preces pro se implorasset, illa juvenem ad templum duxit, et una secum orare jussit. Prostrati igitur ante altare, dum aliquamdiu orant, ita juvenis calere in corpore et animo cepit, ut sæpius clamaret, se comburendum esse, nisi Elisabetha ab oratione cessaret. Deficiens vero animo præ calore dum sustentatur, deprehensus est manus habere inflammatissimas, ut vix ferri possent. Postea totus immutatus sæculo valedixit, et Franciscan. ord. intravit, ut in vita. Adhuc melius agunt, qui hoc tempore se ipso Christo per s. communionem affricant et uniunt, ad eamque digne sese præparant. Ad hoc insinuandum ascenderunt discipuli in cœnaculum, ubi Christus, pascha celebraverat, et ibi manserunt, ac forsitan etiam missas celebrarunt, adeo-

que communicarunt. Cœnaculum illud grande et stratum fuit, Luc. XXII. Et tale fit cor communicantium. Grande per fiduciam magnam, quate in sinum Domini cum Joanne projicias, in eoque suaviter recumbas; *stratum* per virtutes, fidem, charitatem, humilitatem reverentiam.

V. Denique, ignis igne excitatur. Quare si, quæ diximus, necdum possunt ignem Sp. s. accendere in nobis, ad ignem gehennæ descendamus, et ex illo maledicto ignem sanctum accendamus: *Omnis enim igne salietur*, inquit Dominus, Marci IX. Quomodo omnis homo igne salietur? Nonne ignis absumit? Sal conservat? Ita est; sed ignis inferni bene per meditationem inspectus, et quasi sensu perceptus vim habet conservandi a corruptione, adeoque vivificandi hominem. Hinc S. Chrys. ho. II. in c. II. ad Thess. II. ait: «Nemo eorum, qui gehennam ob oculos habet, in gehennam incidit. Nemo gehennam contemnentium gehennam effugiet:» et supra: «Etenim si aspectus tantum mortui hominis mentem nostram adeo pavore contrahit, quanto magis gehenna et ignis ille inextinguibilis? Quanto magis vermis non moriens? Si perpetuo gehennam recogitemus, non cito in illam incidemus.» Certe potuit ea cogitatio accendere ad fidem, adeoque ad gratiam Spiritus s. et ipsum martyrium viginti octo milites, qui jussi fuerant a Sapore, Persarum rege, S. Acindynum cum sociis mittere in fornacem ardentem. Cum enim milites illi essent prope os fornacis, et intolerabilem ejus ardorem ferre non possent, sancti, qui eos viderant territos; «Quid statis, inquit, quod jussi estis non facientes? Si hic, qui est conservus et est ad tempus ignis, vobis visus est tam terribilis, ignis ille gehennæ, qui nunquam desinit, et nunquam extinguitur, quemadmodum a vobis tolerabitur? Ad hoc illi: Et quomodo poterimus effugere, quod vos dicitis supplicium? Nisi abnegato idolorum cultu, aiunt illi, Christo vero Deo vere credideritis, non poteritis effugere illa supplicia.» Ad hæc illi statim manus dederunt, et: *Nunc vestram*, inquit, *consecuti doctrinam tranquillissimus animis, aliquam spem salutis, ut par est, expectantes*. Ergo qui prius adstare fornaci non potuerunt, Christi signaculo armati una cum martyribus læti fornacem ingressi, martyrii palmam consecuti sunt, Metaphrastes, apud Suerium, 2. nov.

Habemus igitur non unam, sed plures rationes et industrias, quibus accenderi in nobis ignem illum amoris divini possumus. Quare ne cum filiis Aaron alienum quæramus ignem, sed propria potius industria conemur una cum Dei gratia accendere in nobis ignem illum, quem Servator noster cupit vehementer accendi.

## CONCIO V.

STIMULI AD EMIGRANDUM EX HAC VITA CUM DESIDERIO.

I. Dei momentis vox. — II. Mundi odium et insidia. — III. Labores et miseriæ hujus mundi. — IV. Miseriæ hujus vitæ externæ.

## THEMA.

*Absque synagogis facient vos.* Joan. VI.

Migravit a nobis nuper Salvator noster, et mundum hunc reliquit. Neque est quod hoc aliquis miratur: non enim ita belle et benevole habitus est a mundo, ut longiorem in eo moram desiderare posset; etenim sine honore ab eo exceptus est, et cum ignominia per crucem ejectus. Quod exhibuit mundus patrifamilias, hoc et domesticis atque amicis ejus apostolis, uti prædixit ei Christus in hodierno evangelio: hoc exhibet et aliis justis, adeo ut non videam, quocumque tandem me vertam, quidnam Dei servos retinere in hac vita possit, quin oculus emigrare, et ad alteram evolare vitam magno opere desiderent. Præclaram hujus rei effigiem habemus in illo Jacob, magno Dei servo, qui serviens Laban socero, ubi ditari cepit, sensit mox aversum a se vultum ejus, necnon filiorum ejus invidas et mordaces oblocutiones: quibus accessere nimii et diuturni labores in servitia obeundo, Dei quoque meritum dicentis: *Revertere in domum patrum tuorum*. Quibus ipse expensis relinquere constituit domum soceri sui, et redire in patriam suam; id quod etiam fecit, Genes. XXXI. Nos etiam si æqua lance ponderare volumus miseriæ hujus mundi, quibus affliguntur servi Dei, nequaquam mirari possumus, si relicto mundo emigrare in cœlestem patriam toto pectore desiderent: mirandum potius esset, si diutius hic hærerent, et moras trahere vellent. Hoc ergo desiderium Salvatoris nostrum sequendi, ut in cordibus vestris excitem, audiamus quæ sint illa, quæ nos hinc emigrare jubent, stimulant et impellunt.

I. Primum est Dei momentis vox, variis modis exhortans, ut relicto mundo in patriam contendamus præsertim afflictionibus, quas immitit servis suis, ut miseriæ hujus vitæ tædio afficiantur; quam etiam ob causam Hebræos tradidit Ægyptiis dura premendos servitute, et flagellis corripiendos: *Ut odio prosequerentur Ægyptios*, inquit Theod. *et illorum deos, a quibus talia passi erant, et ut diligenter parerent mandatis Dei*: quo videlicet exeuntes ex Ægypto, sacrificarent in deserto, et ad terram sibi promissam emigrarent. Qui si cuncta prospera eis successissent, si propitiam habuissent Ægyptum, nunquam de Deo, nunquam de terra promissa cogitassent, «Nam si miseriis illis

afflicti, addit Theod. nihilominus recordabantur deliciarum Ægypti: et sæpenumero istuc redire conati sunt, quis illis nullam inolestiam passis suadere potuisset, ut Ægyptum relinquerent?» Ita ille quæst. XIII. in Exod. Idem contingeret Dei servis, si blande et comiter in mundo haberentur. Quod si adhuc multi tam ægre eam relinquunt, tot plenam amaritudinibus, quid fieret si melle, non felle plenus foret? De Hebræorum egressu ait Moyses, Deut. XXXI. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans expandit alas suas, etc.* Aquila pullos suos plumis jam vestitos, cum e nido ad prædam evolare tardant, rostro ferire dicitur, et nido expellere. Sic agit Deus cum servis suis: ferit et pungit eos, rostro et ore mundanorum, probris, odiis, injuriis, spoliationibus, ut e nido hujus mundi evolent, et prædam suam in cœlo quærant. Ad hoc etiam incitare et provocare eos voluit Christus, dum videntibus discipulis suis ascenderet in cœlum: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans*.

II. Secundum est sinister oculus Laban, de quo Jacob ad suas conjuges: *Video faciem patris vestri, quod non sit erga me sicut heri et nudius tertius*. Altera hæc causa fugæ ipsius fuit: quæ etiam Dei servos vocat e mundo. Laban ad initium comiter excepit Jacob, at paulo post mille fraudibus et injuriis affecit, severumque ei vultum ostendit, cui hilarem prius ostenderat. Sic mundus fallacissimus initio blanditur, sed ut decipiat: allicit ut occidat: escam in hamo porrigit. Saul rex Davidem initio amavit, dum ejus cantu mulceretur, et victoriis gauderet: postea odio habuit, atque uti legimus, 1. Reg. XVIII. fecit quidem tribunum super mille viros; sed quo fine ita eum extulit? *Sit super eum manus Philistinorum*, inquit. Honoravit ergo, ut occideret eum, ita mundus agit; quis ei fidat? Quis adhærere cupiat? Ipsum suum patremfamilias et auctorem vitæ cum plausu in Jerosolymam introduxit, et post quinque dies ejecit atque occidit: quanto magis ejus domesticos simili modo excipiet? Deinde Laban filiis et aliis servis suis velut suis domesticis et conterraneis placidum ostendit vultum, soli Jacob velut extero et peregrino exhibuit aversum; ita mundus cultores suos, filios hujus sæculi non facile persequitur aut affligit, sed eos dumtaxat, qui e mundo emigrare contendunt. Serpentes, qui Syriam incolunt, incolis terræ nihil nocent, peregrinos solum invadunt et vulnerant, auctore Plinio, lib. VIII. cap. IX. plane ita mundus agit. Videre id erat in Abele et Caino: «Ecce justus, inquit S. Ambr. lib. II. de Cain, innocens, pius, propter gratiam devotionis odia fratris incurrens, immaturus adhuc ævi sublatus est periciditio;

iniquus, sceleratus, impius, etiam fraterna cæde pollutus, longævam duxit ætatem, posteritatem reliquit, *urbs condidit, et hoc meruit permissione divina*. Nonne in his aperte vox Dei clamat: Erratis qui putatis hic esse omnem vivendi gratiam! Ad hæc Laban, licet sciret se perfidia sua causam Jacob genero dedisse fugiendi, id tamen dissimulavit, et omnem culpam in Jacob innocentem coniecit. Ita mundus sua peccata tacet et dissimulat, omnemque culpam in pios rejicit. Exemplo est rex Achab, qui cum impietate sua commerisset ut prohiberetur a pluvia cælum, causam impexit Eliæ: *Tunc es, qui conturbas Israel? Cui Elias: Non ergo turbavi Israel, sed tu et domus patris tui*, 1. Reg. XVIII. Ita olim gentiles quascumque patiebantur calamitates, bella, pestem, famem, siccitatem, Christianis adscribebant, ut qui illorum deos sua religione conturbassent, et ad iracundiam provocassent: indeque occasionem captabant capiendi et mactandi Christianos, uti refert et refellit S. August. II. de civit. Etiam hodie mundi asseclæ fere in religiosorum tantum nævos debacchantur, et eorum vitia aut fingunt, aut exagitant, sua interim graviora longe silent et prætereunt. Quis ab ejusmodi patrefamilias non se proripiat? Quis adhærere ipsi velit? Præterea Laban stultitiæ damnavit Jacob, quod ab ejus servitute ad libertatem et patriam profugisset: *Stulte operatus es*, inquit. Prorsus ita mundo stultum videtur, quidquid boni agunt, præsertim quando jugum dæmonis et mundi fugiunt, et vel ad religionem se recipiunt, aut per alias pietatis vias cælestem patriam repetunt. Queritur ob hanc injuriam, de Gotth. et Wandal. quando Roman. imper. Italiam et alias provincias invaserunt, S. Salvian. Massil. episcopus, quod ingressum status religiosi in probrum et stultitiam vertissent, vitamque religiosorum pro delirio habuissent ac venditassent. « Statim, inquit, l. IV. de vero ind. et provid. ut melior esse quis tentaverit, deteriori abjectione calcatur: ac per hoc omnes quodammodo esse mali coguntur, ne viles habeantur. Et ideo apostolus clamat: Sæculum totum in malo positum est, 1. Joan. V. Merito enim totum esse in malo dicitur, ubi boni locum habere non possunt. » Sic ille. Quis non libenter deserat, imo velis remisque fugiat mundum in maligno positum, ubi bonis locus non est?

III. Tertium est labores et miseriam tam corporis quam animæ, quibus in hoc mundo fatigantur et premuntur servi Dei, uti sensit et lamentatus est apostolus ad Rom. VII. *Infelix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis hujus? Hæc vero, ut dixi, sunt duplices.*

Primo, miseriam corporis hujus sunt mul-

tiplices. Primo enim, ipsum per se esse luctum, sordibus plenum, fragile, nudum, aspectu horridum, omnis generis morbis obnoxium, ideoque medicinis, sacificationibus, venisectionibus, thermis, *acidulis fovendum, sanandum, conservandum: nunc friget, nunc æstuat: nunc sitim patitur, nunc famem: laborat ingerendo, digerendo, egerendo: nimis parum comedit vel bibit, et murmurat: nimis multum, et gravatur, impeditur, inebriatur.*

Secundo, multi nascuntur miseri, cæci, claudi, manci, gibbosi, debiles, servi, mendici, infames, parentum morbis et vitiis obnoxii. Alii miseri ex variis casibus fiunt, deseruntur a parentibus et cognatis, fiunt leprosi, herniosi, calculosi, podagræci, etc.

Tertio, quinque hominis sensus sæpe magis hominem torquent, quam recreant: perdunt quam juvant. Quantæ miseriam partim propriam, partim alienam oculis aspiciendam! Quanta mala et horrenda audienda! Calumniæ, contumeliæ, convicia, dicteria, derisiones! Quot insipida gustanda in paupertate præsertim, et tempore famis, uti equorum, murium et cadaverum carnes! Quos fœtores tolerandi! Tactus quoties læditur cultus, urticis, spinis.

Quarto, multo tempore indiget donec vires acquirat: multum adhibere laborem debet, donec perficiatur et aliquid addiscat. Cum enim bruta vix nata sciant quærere nutrimentum suum, quadrupedia mox currant, aves volent, pisces natent; nihil horum potest homo, nisi post multos annos et labores: neque tamen adeo se perficit, ut sibi satis consulere, et de omnibus necessariis providere queat.

Quinto, omnis ejus ætas miseriam suam habet: infantia fragilitatem, ignorantiam, sordes, disciplinam: juvenus præcipitantiam, temeritatem, inconstantiam, indiscretionem, ad vitia pronitatem: virilis ætas labores, curas, æmulationes, persecutiones, inimicitias: senectus debilitatem, oblivionem, contemptum, continuam infirmitatem.

Sexto, omnes etiam naturæ dotes suas habent miseriam. Robustus es? Nimium præsumis, periculis te exponis, alios ad pugnam provocas, graviora onera feres, difficilius morieris. Formosus? Habes æmulos, insidiatores castitatis. E contra debilis et infirmus es? Hoc ipso miser, et semper cum medicinis res tibi erit. Deformis? Contemptui aut etiam derisui es.

Denique, omnes diu vivere volunt, interim senes fieri nolunt. Ad mortem omnes currunt, et mortem interim horrent fugiuntque remis ac velis. Quæ omnia considerans apostolus, ad Rom. VII. exclamat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? h. e. morti et*

corruptioni obnoxio; siquidem: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam*, ait Sapiens, Sap. V. Corrumpitur autem a calore nativo sensim absumente humidum radicale, quo modo ignis ceram, vel tinea corrodit vestimentum juxta id Job. XIII. *Tamquam putredo consumendus sum, et tamquam vestimentum, quod comeditur a tinea.*

Secundo, miseria animæ humanæ, quatenus peccatis est obnoxia, et peccandi occasionibus exposita; qua de causa vita hominis perpetua est militia, Job. VII. Nam imprimis habet intrinsecum et inseparabilem hostem, concupiscentiam, quæ instar sarcinæ gravis hominem deprimit ad bruta et carnalia desideria, bestiis communia; quibuscumque pugnare continuo oportet, nisi ab eis mergi in interitum, et degenerare in brutum velit. Semper ergo in armis stare, et bestiam illam sibi alligatam coercere ac compescere debet, ne ipse bestia fiat.

Secundo, accedit peccatum originale, quod non modo Deo inimicum facit, sed etiam obnoxium plurimis miseriis et peccatis: quomodo morsus lupi pelli ovine infixus, pediculos in ea gignit, teste Aristotele, apud Pier. lib. X. Sic enim morsus illius serpentis parentibus nostris infixus, carnem eorum et nostram concupiscentiam, e qua tot pediculi malorum desideriorum et peccatorum prodeunt, vitiavit. Quis autem talem pellem, tot pediculos gignentem non desideret exuere?

Tertio, hinc etiam prodit mira quædam pronitas ad peccandum, difficultas vero ad bene operandum et virtutum studium; dum caro ad præsentia, quæ sensibus apprehendit, rapitur valde potenter: ad futura vero quæ tenuiter apprehendit, leviuscule: bonum, jucundum et utile præfert honesto. Sic Agar ancilla parvum Ismaelem cito et facile perperit: Sara vero domina pium et bonum Isaac tarde et post multos labores.

Quarto, ex hac pronitate et infirmitate fit ut facile labatur, et quidem graviter, accedentibus tot externis peccatorum illecebris, quibus omnibus difficulter homo resistit, saltem multo tempore. Quemadmodum enim Samson licet Nazareus et fortissimus, tandem a muliere tot modis et illecebris eum fatigante, persuasus et deceptus est: ita sæpe etiam viri perfecti et spirituales, si peccandi occasionibus sese exponant, tentationem importunitate in ruinam impelluntur.

Quinto, quod si graves lapsus cum Dei gratia vitamus, minores tamen omnes, sine specialissima Dei gratia (qualem B. Virgo et forte paucissimi alii habuerunt) vitare minime possumus, tametsi possumus singulos: quomodo infirmus aliquis centum passibus potest facere singulos

seorsim, sed non omnes gressu continuo. At vero huic necessitati venialiter peccandi subjacere maxima miseria est. Præstat enim millies mori, quam Deum vel levissime offendere, tametsi nulla omnino pœna peccatum sequeretur. At vero sicut umbra corpus, ita culpam quoque necessario sequitur pœna: sive in hac, sive in altera vita, quæ est ignis purgatorii, levioribus etiam culpis decreta. Quis autem non malit inter mortuos esse, quam tali pœnæ addici? Taceo vermem conscientiam, qui mox peccatum sequitur, et hominem castigat: taceo remedium, quo deleri culpæ debent, dolorem et confessionem: taceo incertitudinem remissionis peccatorum, dum nescimus utrum sinceram penitentiam egerimus.

Sexto, bona opera non solum, ut dixi, cum difficultate peragimus, sed etiam imperfecte, communiter multis aspersa nævis: oramus languide et inattente, jejunamus ægre et exiguo rigore: largimur eleemosynam raro et parce. Denique, quæ etiam perfecte agimus, mox suos insidiatores habent, vanam scilicet gloriam, quæ a tergo sequitur, et si non omnem prorsus, multam tamen mercedem nobis suffuratur. Ita contigit nobis sicut tribus molentibus, ut dicebat S. Anselmus (habetur in ejus vita): quorum primus farinam suam negligit, et in aquam excidere sinit, alter partem excipit, partem etiam perdit; tertius vix tandem totam conservavit. Primus notat eos, qui opera sua omnia terrenum fine peragunt: secundus eos, qui operantur bona, sed multa sine merito, dum vel non ex motivo virtutis, vel non debito modo, vel depravato fine mixto cum vana aliqua gloria. Demum pauci cum tertio sunt, qui purissima intentione totum conservant meritum.

IV. Stimularunt etiam Jacobum ad deserendum Laban, et profugiendum in patriam filii ipsius Laban, qui invidiæ stimulis acti improparunt ei divitias labore suo partas: quasi ex bonis patris eorum, non industria sua ditatus esset. Et hæc sunt miseriam extremam, quæ in omnium hominum statu et conditione culmine sedes, quæ ibi non sunt pericula, insidiæ, curæ, cupiditates ascendenti altius et altius? Dicit Achab, qui non obtenta, quam petebat, unius pauperis vinea, abiit domum indignans et frendens, *posuitque se in lectum quasi ægrotans*, III. Reg. XXI. dicat Aman, qui cum omnia habere se existimaret, nihil se habere dixit, quamdiu vidit Mardocheum sibi genua non flectentem, Esth. V. dicat Sigismund. imp. qui asinos feliciores regibus dicebat, ob eorum curas et labores incessabiles. Et per quot labores pervenitur ad labores illos? Per quot servitutes ad servitutum